



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Gallia Vindicata, In Qua Testimoniis Exemplisque
Gallicanæ Præsertim Ecclesiæ, Quæ Pro Regalia, Ac
Quatuor Parisiensibus Propositionibus A Ludovico
Maimburgo, Aliisque producta sunt, Refutantur**


Sfondrati, Celestino

[Ort nicht ermittelt], MDCLXXXVIII.

1. Summum Pontificem Infallibilem esse, ex omnium SS. Patrum Elogijs ostenditur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38277

6. Necnon Apollinaris, Ioviniani, Ruffini, Pelagij, Nestorij.
7. Adstipulante ipsâmet Synodo Chalcedonensi.
8. Præterea ex damnatione Petri Cnaphæi Eutyobiani, Monothelitarum, Iconoclastarum, Photij, Berengarij, Abailardi, Lutheri, Michaëlis Baij, Jansenij.
9. Ac Novissimè Ludovici de Molines sub INNOCENTIO XI. Moderno PP.
10. Tandem testimonio Bernonis Mon. S. Galli, postea Abbatis Augiensis.



I.

Maimburgus Romani Pontificis auctoritatem in rebus fidei decidendis impugnaturus, solitis artibus pugnae præludit, reverentiam, obsequiumque proficitur; præsertim, (a) se Patrum, se Conciliorum, ac venerabilis Antiquitatis sententiam expositurum, & ex hujus voto, citra omnem argumentandi, disputandique strepitum (nam hoc abstinere se omnino velle) causam finiturum. Ita Maimburgus, tunc blandissimus, cum insidias parat, ac semper promissis dives. Pollicetur Antiquitatem, ut hujus reverentiâ causam suam muniat; & muniret quidem, si Antiquitatem ex vero sponderet. Sed tam certum est, Antiquitatem totam Maimburgo obsistere, ac pro nobis facere, ut omnino appareat, hanc quôq; unam esse ex Maimburgi fallacijs, pyratarum more vexilla mutantis, alienâque militiam profitentis. Totius ergo retrò Antiquitatis hanc unam, veramque sententiam fuisse ostendam, ut videlicet crederent, quæ à Romano Pontifice in materia fidei semel decisa forent, inconcussa esse, omnisque dubij expertia, nec posse rejici, aut in litem vocari, nisi ab ijs, qui aut Schismatis, aut etiam Hæresis notâ configi vellent. Si ergo palam fecero, & Concilia, & Patres, & omnium seculorum traditionem à nobis stare, duas simul victorias consequar, videlicet, & Maimburgum falsi convincam, Antiquitatem simulantis; & Galli-

(a) Maimb. Traittè historiç. ch. 6. fol. 55.

Gallicanam Ecclesiam nostrarum esse partium ostendam, hæc enim palàm profitetur, se adhærere antiquorum Patrum, Conciliorumque auctoritati. Unum ergo, idémque erit, antiquos Patres pro nobis, & Ecclesiam Gallicanam proferre, præsertim cum Patres Conventus ultimi Parisiensis in limine suæ Declarationis profiteantur, fundamenta Libertatum Gallicanæ Ecclesiæ *Sacris Canonibus, Patrumque auctoritate, & traditione nisi.* Patres ergo, Sacrosque Canones audiamus, & ex istorum voto causa decidatur. Nam Scripturas Sacras quod attinet, illæ tam claræ sunt, & in Regali Sacerdotio ex mente Sacrorum Ecclesiæ Doctorum tam luculenter explicatæ, ut nihil dicendum superfit, pigetque jam dicta repetere. Primò ergo modum loquendi in genere in hac materia à Patribus usurpatum, tum praxin Ecclesiæ, ac tandem Patrum per omnium Seculorum decursum sententias expendemus.

Primò igitur, Infallibilitas Pontificum in rebus fidei decernendis ex ijs titulis ac elogijs constat, quæ non ab uno tantum, aut altero, sed ab omnibus certatim Patribus Pontifici Romano tribuuntur. Sexta Synodus in Proshoneticò ad Constantium Imperatorem: *Adamantem fidei, vocat, cuius solida mens aggressionibus atque consiliis alienæ à fide opinionis non est vulnerabilis.* S. Chryostomus homiliâ 2. in Psalm. 50, & homiliâ de Petro & Elia: *Basim fidei immobilem.* Tres Synodi Africanæ in Synodica ad Damasum: *Beatitudinem, cui Episcoporum judiciaria, & summorum finem Ecclesiasticorum negotiorum in honorem beatissimi Petri Patrum Decreta omnium cunctam reservare sententiam.* Paschasius Legatus Pontificius in tertia Oecumenica Synodo Ephesina, Patribus non tantum non reclamantibus, sed vehementer, & effusè applaudentibus: *Caput Universalis Ecclesiæ, Petri Apostoli præditum potestate, qui Ecclesiæ fundamentum, & Petra Fidei appellatur.* Philippus itidem Legatus in Concilio Ephesino Tomo 2. cap. 15. *Caput totius Fidei.* Iterum S. Chryostomus in Encomio SS. Petri & Pauli: *Consiliarium necessarium Christianorum.* Andronicus Imperatorepistolâ ad Joannem XXI. apud Eugubinum l. 2. de Donatione Constantini: *Successorem Petri Apostoli, vericis Apostolorum, qui habet potestatem de fide judicandi, & si quæ de Fide suborta sunt quæstiones, suo iudicio dissolvendi.* Iterum Concilium Ephesinum Tomo 2. cap. 15. S. Petrus Chrysológus *serm. 107, & Martinus I. epist. 11. S. Anselmus*

felmus *l. de Incarnat. verbis c. l.* Custodem vita & fidei Christianae. Synodus Alexandrina ad Felicem Papam, & Sergius Cyprius in Concilio Lateranensi sub Martino I. *Depositorum prophanarum hereseon.* Tertullianus *l. de Præscript.* Felicem, cui totam doctrinam Apostoli cum suo sanguine profuderunt. Constantinus Pogonatus ad Leonem Papam: *Pastorem Romanae Ecclesiae super Petram fundata, & portis inferi, hoc est, insidijs hereticorum ex prædicatione Christi nunquam succubitura.* S. Maximus epist. ad Abbatem Thalassium: *Pastorem Ecclesiae, qua ab olim huiusque omnibus praest, utpote senior cunctarum, qua sub sole sunt, Ecclesiarum, ac nullis (propter Pontificatus protectionem) scriptis, aut Synodicarum editionibus chartarum subiecta.* Theodorus Studita ad Paschalem lib. 2. epist. 13. *Ecce divinitus lucentem ad Ecclesiam, qua sub Caelo est, illuminationem in Apostolica Sede collucentem.* Sergius Cyprius ad Theodorum Papam in Concilio Lateranensi sub Martino I. Secretario 2. *Ermaementum à DEO fixum, & immobile, ac formam lucidissimam fidei divinitus constitutam.* Iterum Theodorus Studita epist. ad Paschalem Papam. l. 2. ep. 13. *Fontem verè illumem, ac sincerum jam inde à principio verae fidei.* Andreas Cretenensis serm. de Transfiguratur. Et Stephanus Episcopus Dorensis epist. ad Synodum Lateranensem sub Martino I. consultatione 2. *Eundamentum dogmatum Fidei.* S. Athanasius cum Collegis epist. ad Felicem Papam: *Eundamentum, super quod Columnae Ecclesiae confirmatae sunt.* Sozimus Papa epist. 10. *Judex, de cuius iudicio disceptare nemo audeat.* Synodus Romana sub Nicolao I. contra Photium: *Judex omnes iudicans, ipse à nemine iudicandus.* S. Bonifacius apud Surium in vita S. Burchard l. 1. c. 9. *Magister Universalis Episcoporum.* S. Ignatius ad Nicolaum I. *Medicus unus, singularis, praeclens, Catholicissimus, à DEO provivus sanandis Christi membris.* Hincmarus initio operis de Divortio: *Nutritius & Doctor omnium Ecclesiarum.* Tarasius ad Hadrianum Papam: *Oculus totius Corporis ostendens veritatem veritatis semitam.* Osuvi Rex Saxonum apud Bedam l. 3. histor. Angl. c. 25. *Ostiaris, cuius obediendum est statutis, ne advenientibus ad fores Regni Caesorum non sit, qui referet, averso illo, qui claves tenere probatur.* Theodorus Studita epist. ad Paschalem: *Portus securus totius Ecclesiae.* Hieronymus epist. 16. *Portus tutissimus totius Catholicae Communionis.* Rupertus praefatione ad libros de SS. Trinitate Pontifici inscripta: *Prætor Christianae fidei.* Constantinus Magnus in Edicto:

Princeps cunctis Sacerdotibus totius mundi, cujus iudicio, quæq; ad cultum DEI, vel fidei Christiana stabilitatem procurata fuerim, disponuntur. Gotfridus Vindocinensis epist. 7. l. 1. *Princeps Fidei Catholica.* Iterum Constatinus Pogonatus epist. ad Leonem Papam: *Propugnator firmus veritatis, accinctus verbi gladio, cujus est omnem hereticum auditum, atque doctrinam præcidere.* Concilium Chalcedonense actio 29, in Proponerico ad Martianum Imperatorem: *Propugnator impenetrabilis ab omni errore, quem DEUS providit doctrinis, eum per omnia veritati adstringens, ut quemadmodum Petrus, &c. Theodoretus Studita: Thronus supremus verticalis, in quo Christus fidei claves posuit, adversus quem non prævalebunt usque ad consummationem Porta inferi, ora scilicet hereticorum.* Hæc & alia quàm plurima elogia, quæ non ab uno tantum, sed ab omnibus fere Patribus confertim in Summum Pontificem cumulantur, omnino persuadent, sensisse illos, & cum eis totam Ecclesiam, Pontifices Romanos in rebus fidei decidendis errorum experies esse, nec falli posse. Nec enim Ecclesia, & fideles universi aliud sentire & credere poterant, quàm didicerant; nec ab alijs didicerant, quàm à Sanctis Patribus, suis videl. Doctoribus, & Magistris; nec sancti Patres aliud docuerant, quàm quod ipsi sentiebant; tantoque majoris momenti eorum testimonium habendum est, quòd, cum scriberent causâ adhuc integrâ, nec in litem vocatâ, eximiâque insuper sanctitate florent; suspicari nemo potest, eos aut partium studio, aut adulatione corruptos festinasse tot elogijs Pontificis gratiam promereri; nondum erant ea tempora, nec favore, aut pretio calami locabantur. Quòd si Patres hæc de Concilijs dixissent, quæ de Pontifice dixerunt, annon crederent adversarij, se omnino acie victores esse, quantoque cum triumpho illa ubique decantarent? Et tamen ne ullum quidem apicem proferre possunt, quo Concilium Acephalum, ac Papæ oppositum à Patribus laudetur, multò minus, quo infallibile appelleretur, aut ei suprema in rebus fidei judicandis auctoritas tribuatur. Quando enim, & apud quos Ecclesiæ Doctores legerunt, Concilium Acephalum, & quod pejus est, Concilium Papæ oppositum, ab eoque dissentiens, esse Fidei adamantem, esse basim immobilem, esse supremum Fidei tribunal, quod à nullo judicari possit, esse fundamentum, & Caput Ecclesiæ? Hæc planè nunquam de Concilio Papæ opposito, aut etiam de Conci-
lio

lio non confirmato dicuntur; nec ab adversarijs, qui tamen tot folia impugnando Pontifici impleverunt, vel syllaba produci potuit; si ergo, uti dicunt, Sanctorum Patrum vestigijs adeo constanter inhærent, cur Concilij privilegia tribuunt, quæ Patres nunquam tribuerunt? Pontifici verò cur negant, quæ Patres nunquam negârunt, sed certatim & confertim, atque à primis Ecclesiæ nascentis temporibus tribuerunt? Hoc est ergo Patrum exempla sectari, negare, quod Patres asserunt, asserere, quod Patres negant? *Nec dicant*, elogia hæctenus recitata non ad Pontifices universim pertinere, sed vel ad S. Petrum, vel ad alios particulares Pontifices, v. gr. Leonem, Cælestinum, &c. sicque esse elogia Personalia, & Dignitatis; ac consequenter non posse ad omnes Pontifices extendi. *Respondeo enim*, pleròsq; allegatorum Patrum loqui de Privilegio Cathedræ, non Personæ, & fundari in promissionibus à Christo factis, videl. *Tu es Petrus, &c. Porta inferi non prævalebum &c. Pascite oves meas, &c.* Quæ promissiones ex sensu omnium Catholicorum sunt universales, nec ad solum Petrum, aut particulares aliquos Pontifices, sed ad omnes Petri successores pertinent; alioquin quomodo probarent perpetuum & universalem Primatum omnium Romanorum Pontificum? Et planè negari non potest, hanc omninò Christi mentem, & Ecclesiæ necessitatem fuisse. Nam privatam Petri personam quod attinet, parùm intererat, eam fallibilem esse, aut infallibilem, imò si abstrahas à publica Ecclesiæ utilitate, minùs Petro nocebat, eum falli posse, quàm peccare posse, & tamen certum est, peccare potuisse. Si verò non privatam Petri personam, sed ejus Dignitatem ac officium, & consequenter Ecclesiæ Catholicæ necessitatem attendas, æquè, imò magis oportebat, omnes Petri successores, quàm ipsum Petrum, in rebus & dogmatibus fidei tradendis infallibiles esse; mortuis enim Apostolis, sanctitate ac miraculorum gratiâ minùs, quàm Apostolorum ætate, abundante, hæresibus ex omni parte erumpentibus, ac fidem impugnantibus, quis non videt, majorem nunc esse ad conservandam Religionem Capitis visibilis & infallibilis necessitatem, quàm fuerit olim? nisi dicas, firmum, ac solidum fundamentum tantum domui inchoandæ necessarium esse, non verò perficiendæ & consummandæ; ac peritum cæli, marisque Navarchum incipiendæ

tantum navigationi quaerendum esse, & dum navis adhuc in portu est, aut prope littus, non vero navi in altum provec̄ta, & ventis ac tempestate jactata. *Nec obstat*, non amplius opus esse Capite ac Pastore visibili, Ecclesia jam constituta, & Petro, aliisque Apostolis per scripturas loquentibus; nam de ipso scripturarum sensu & interpretatione summa concertatio est, nec aliunde tot haereses natae, prolataeque, quam ex falsa scripturarum explicatione; unde, ut insistam praelibatae similitudini, sicut ad felicem, securamque navigationem non sufficit, chartas hydrographicas, cursumque stellarum ante oculos poni navigantibus, nisi unus sit Gubernator, qui & eas intelligat, & cursui, ac necessitati aptare noverit, suoque Imperio ac directione reliqua servitia, remigesque in officio contineat; ita in Ecclesia DEI, in qua tot quotidie naufragia animarum, ac fidei, parum est, mysteria Religionis chartis inscriptas esse; nisi alius sit, qui eas certo interpreteatur, & cui omnes fideles sine ulla erroris suspitione obedire teneantur, alioquin quam timida erit, & anxia Religio, semper videl. aut cadens, aut casum expectans? Haec omnia probant, Privilegium Infallibilitatis non soli Petro, sed omnibus ejus successoribus necessarium esse: & Patres, qui de Petro loquuntur, non de persona, sed de officio Petri, ac Dignitate loqui, sicque de omnibus Romanis Pontificibus, ad quos Dignitas & officium transit. Deinde Patres loquuntur deingenti ac praecipuo Ecclesiae Romanae privilegio, nullis alijs Ecclesijs concessio; at nullum esset peculiare privilegium, si id tantum vellent, Petrum, Leonem, & Coelestinum, paucosque alios in tradendis fidei dogmatibus nullo errore corruptos fuisse; quae est enim Ecclesia toto Orbe terrarum, quae vel Apostolos fundatores non habuerit, vel alios Episcopos immaculatae fidei? Non ergo esset hoc speciale Privilegium Romanae Ecclesiae, si Patres de uno tantum, aut altero Pontifice intelligantur, aut de solo Petro.

II. *Secundo.* Accedit praxis, ususque Ecclesiae perpetuus, qui hanc ipsam Romanorum Pontificum infallibilitatem multis ex capitibus evincit; nam quicumque a Pontifice Romano in rebus fidei decreta & definita non recepisset, sed ijs obluatus esset, pro haeretico & Schismatico habitus est, & ab Ecclesiae communione praecisus. Ita rem se habere Patrum testimonia in medium prolata certum, palamque facient, Ante